





PROGRAMMA
Ovo
UNIVERSITATIS GRYPHICÆ
RECTOR
JO. PHILIPPUS
PALTHENIUS,
Moral. & Hiflor. Prof. Reg.
DE
CONJUGIO
HONORARIO

differit
&
Ad caste celebranda Virginei
partus sacra

CIVES SUOS
pro officii affectusque ratione
ferio ac peramanter
cohortatur.



Gryphiswaldiæ,
Typis DANIELIS BENJAMINIS STARCKI,
Reg. Acad. Typogr.

1708, 6

14



DE perpetua virginitate Mariæ quam irrefragabili sacrarum literarum auctoritate minus constat, magno tamen, nec improbabili ratione (a) nixo, Theologorum consensu traditur, quo fuit illibato atque illæso pudore Maria, antequam ex umbra Sanctissimi Spiritus conciperet, quoad uterum ferret, dumque in lucem humani generis Servatorem exponeret, eum etiam partu edito per reliquum omne vitæ tempus incorruptum, nec maritali amplexu vitiatum, servasse. Quod si demus, quæ ratio initi inter Josephum atque Mariam conjugii fuerit, cuius non uno loco nec obscuris verbis (b) mentionem facer Codex facit, non est adeo expeditum, sive mero jure naturali, sive lege, quam vocant, positiva divina, sive civili qualicunque jure, ea in re definienda niti velis. Naturali, id est, simplicissimo jure quamvis multa à statu conjugii abesse possint, quæ reliquarum legum præscripto velut necessaria eo referuntur, id tamen fieri nulla ratione potest, ut mera inter marem atque feminam amicitia & domestica consuetudo, si de præbendo invicem corpore suscipiendaque prole consensus atque destinatio non accesserit, nomine conjugii, aut quod expressius est, matri-

(a) *Palmaria hæc est ratio, quam nervose exprimit VValterus Offic. Bibl. p. 84.* Quia Mariæ corpus peculiariter à DEO ad tale opus fuit deputatum, quo non aliud vel sanctius vel majestatis sua divinius nominari queat, certe quisque piorum facile intelligit, ab hac ipsa majestate conceptionis & nativitatis Filii DEI penitus abhorre, ut virgineum illud corpus, quod Spiritus S. habitaculum & Filii DEI templum per modum quendam μονότροπον και ἐξαίρετον fuerat, postea concupiscentiæ conjugalis operi statuatur fuisse expositum. *Conf. Sirauch. Compend. Theol. posit. polem. p. 17. & 80.*

(b) *Matth. I. 16. 19. 20. 24.*

Sipertt. Grogg. 1708-57.



mat
appe
aut t
vir,
opus
debe
pro n
neris
veni
quan
tatis
eos n
isq
mag
focu
Leg
abest
potit
fœm
carn
corp
Et q
erat
tume
rem
studi
fapie
sent
prim
jugii
sum
tum

matrimonii, qvo nimirum id agitur, ut matres fiant, appelletur. In univcrsum enim qvid qvæſo aut mariti, aut uxoris titulo in ea ſocietate dignum eſt, in qva neq; vir, neq; ſcœmina officium facit? Qvid ſexuſ diſcrimine opus eſt, niſi conjunctione utriuſqve naturæ ſatiſfieri debeat? Qva deniqve ratione pro fundamento familiæ, pro rei publicæ ſeminario, pro ſuſtentaculo humani generis conjugium, ſi mera illiuſ ſimulatio hoc nomine veniat, valebit? Vel ſi de paucis ſermo iſtituatur: qvare illi aut ſpeciem conjugii induunt, ſi indubiæ caſtitaſis laudem affectant, aut ſi conjugii honeſtum nomen eos movet, qvare pudoriſ virginei affectatione ſibi aliſq; ſcrupulum injiciunt? cum naturaliter reſ illæ non magiſ jungi qveant, qvam ſi qviſ affuſa aqua excitare focum, aut bellum gerendo pacem colere aggrediatur. Lege poſitiva, qvam vocant, univerſali divina tantum abeſt, ut qvod naturalis ratio damnat, ſanciat, ut potiuſ ipſo matrimonio iſtituto arctiſſima Viri cum ſcœmina conjunctio, qvæ unam ex duobuſ hominibuſ carnem efficiat, & velut diſjunctaſ à Creatore humani corporiſ partuſ juſſu ejuſdem redintegret, contineatur. Et qvid qvæſo de univerſo mortalium genere futurum erat, ſi ad ingenium argillæ, ex qva vivum animatumq; corpus acceperat, redire Adamuſ, aut coſtæ rigorem Eva retinere voluiſſet, ſi neſcio cujuſ caſtimonix ſtudio conciliatricis naturæ monita temnere, qvin ipſiſ ſapientiſſimi Numiniſ expectationem fallere iſtituiſſent? Neq; vero exempla eorum, qvi poſt Protoplaſtoſ prima mundi ætate vixerunt, qvam viſ à primævo conjugii iſtituto in aliis rebuſ recedendi ſibi licentiam ſumpſerint, qvidqvam habent, qvo ſaltem in licitiſ poſitum fuiſſe ſine concubitu connubium demonſtrari qve-

at. Lege autem Mosaica in aperto est diligentius multo atque accuratius de cognationum gradibus, de nuptiis, divortiis, (c) similibusque rebus præcipi, quam ut probabile sit statutis hisce exceptionem tacitam de voluntaria conjugum abstinentia subesse. Civili omni, & præcipue Romano, juri vix quidquam magis, quam sine viri atque mulieris conjunctione, sine spe atque cupiditate prolis, conjugium repugnat, cujus exempla si frequentarentur, brevi civitatibus ipsis, quæ pro fundamento familias habent, pereundum foret. Et quancquam vulgo fertur, quod est Ulpiani dictum, (d) non concubitum, sed consensum nuptias efficere, id tamen de consensu nudo atque otioso, quem effectus plane nullus sequatur, nec ex intentione spondentium sequi debeat, minime est intelligendum.

Sed si vel maxime veritate dicta nitantur, certum nihilominus est, non id tantum, quod expresso legum præscripto nititur, legitimum esse conjugium, sed & permultum in eorum gentium mores posse, quos si toleret, nec oppositam lege damnet, qui summo in civitate imperio fungitur, eandem illi aut sane non ab similem legibus (e) auctoritatem & in vita communi effectum fortiuntur, id

(c) Non postrema ratio indulte divortiorum licentia illa erat, ne simulata essent conjugia, nec invidie maritis uxores incultu sterilescerent, quæ spes erat vinculo isto solutas feliciter aliis nupturas.

(d) L. 30. π. dereg. jur.

(e) Juri Romani jus non scriptum aut sine scripto vocant. J. 3. Inst. de J. N. G. & C. In qua appellatione Consuetudinis ratio simul auctoritatis, quam ea in Civitatibus obtinet, delitescit, hæc nimirum, quod antequam scriberentur leges, mandata imperantium, ipsorum aut ministrorum ore promulgata, pro legibus essent, quorum quasi reliquias, nulla scripta lege abrogatas, consuevendo servas. Duplici ergo ratione Conjugium, quod moribus congruis, legitimum appellari potest.

id quod tanto magis obtinet, si consuetudo isthæc sup-
posito quodam legis, aut certa causa, ad eliciendum im-
perantis consensum idonea, nitatur. Postquam itaq;
decorum conveniensqve compluribus populis visum
fuit, ut pacta nuptialia ab ipsis nuptiis, tentandæ aman-
tium continentia, & explorandis civium judiciis, certo
interjecto tempore distingverentur, ne forte in pericu-
lum mora illa virtutem famamqve seqvioris sexus ad-
duceret, aut spe pœnitentiæ inconsultis stipulationibus
locum daret, aut ad disturbanda sponforum consilia
maligno ingenio hominibus occasionem præberet, faci-
endum prudentiores existimarunt, ut laxato vocabuli
sensu, nomen matrimonii sponsalia quoq; comprehen-
deret, & velut præcepto futuri temporis statui jura con-
jugio attributa accommodarentur. Dantur interdum
illecebris conjugalibus ita capti, ut quantumvis effœta
ætate consortio tamen muliercularum viri, aut viro-
rum consuetudine mulieres carere nulla ratione possint,
quibus adeo senectutis vitium exprobare, aut solatium
denegare, durum fuerit. Sæpe etiam inter calidissi-
mas hæredipetarum artes est, matrimonia inire, quibus
intercessuram mortem non ignorant. Quæ omnia à
Rerumpublicarum Rectoribus, cum privatim expedi-
ant, publice innoxia sint, haud difficulter admittun-
tur. Nostro seculo frequentissimum est, ut Reges
Principesq; absentes despondeantur, & celebratis ima-
ginarii connubii solennibus, Conjugum nomine diu an-
te, quam in amplexus veniant, aut etiamsi non vene-
rint, honestentur. Quorsum pertinere videtur, quod est
in dictis Veri: (f) *Uxor dignitatis nomen est, non voluptatis.*
Atq; illa est ratio, quare talia matrimonia recte appellari
putemus honoraria, eo nimirum sensu, quo qui titulum
mune-

)(3

(f) *Spartian. in vit. ej. c. 1.*

muneris sine functione habent, honorarii vocantur. Fuisse autem id genus conjugii in populofraëlitico non inusitatum, vel unico Davidis exemplo evinci potest. Quamquam enim Abifaga planissimis SSæ. verbis (g) pro concubina ab eo assumpta dicatur, nec maritali eam affectu tristis atq; decrepitus senex amplexus unquam fuerit (h), certum est tamen post Davidis mortem viduæ Regiæ honores eidem fuisse attributos, id quod utiqve conjugium morali æstimatione tale supponit, sine quo si fuisset, neq; illicitum, neq; supplicio dignum Adoniæ de nuptiis Abifagæ desiderium, modeste sibi expositum, Salomo Regum sapientissimus judicasset, qui eo colore nefariam regni affectationem tegi, & recte quidem, cum moribus judaicis viduas Regum ducere privato minime liceret, existimabat. Inter Christianos decantatissimum est Henrici II. Cæsaris exemplum, qui Conjugem aut pro Coniuge Imperatoria diu habitam Cunigundam (i) morti

(g) *l. Reg. l. 2. Vocabulum Concubine sensu grammatico accipimus, pro ea, quæ cum viro quacumque de causa cubat.*

(h) *1. Reg. l. 4.*

(i) *Notari meretur, quod interdum quidem Conjugem, dilectam, dilectissimam Conjugem Cunigundam Henricus appellet, frequentissime tamen usus videatur vocabulo conlectalis, quasi lecti non lecti sociam agnosceret. Græci id cobabnationis genus συνοικεῖν vocant. Vid. passim Dietmar. Merseburg. in Chron. Conf. du Fresne. Glossar. Eadem voce utitur Auctor Anonym. vit. S. Cunig. ut adeo valde ineptiant, qui pro conlectalis conlectalis aut contoralis legendum putant. Non elegantiori idem dictionis genere rem presentem exprimit, quando eam Augustam beatam & DEO dilectam terreno Imperatori copulariter non carnaliter conjunctam, quam scriptor vit. ej. ap. Sur. Conjugem Henrici non voluptate, sed voluntate copulatam, dicit. Reclius Gosofred. Puerb. in Chron. Conjugem Virgineam vocat, Quæ omnia, quam vere dicantur, in medio nunc relinquimus.*

morti vicinus his verbis agnatis reddidit: *Recipite, quam mihi tradidistis Virginem.* Quod factum tantum adest, ut reprehensione dignum existimaverit aetas illa, ut potius utriusque divini decreti sint honores, quibus etiamnum (k) perfruuntur. Ne quis de simili jure privatae sortis hominibus circa ornamenta uxoria (quo verbo eleganter Svetonius (l) utitur) competente dubitet, quantum quidem ad Judæos attinet, consulendus est, qui omnia hic dixit, honos Britanniae Seldenus (m). Memoratu praerequisitum dignum est, quod de benedictione sacra, qua Judæi sponsalia sua auspicari soleverunt, affert, ex cujus formula (n) patet, non eam solum, quae celebratis publice nuptiis in thalamum rite deducta, sed & quae per sola sponsalia addicta Viro erat, Uxoribus nomine fuisse appellatam, in quam idem gravissimus Autor (o) adulterium committi potuisse, eoque admisso non minus capitali supplicio in eam, quam si benedictio nuptialis & in thorum genialem deductio facta esset, animadverti solitum fuisse observat. Sed adulterii neque crimen, neque poena, sine veri legitimi que conjugii aestimatione intelligi potest. Quantum ad Christianos spectat, quid de vinculo, quod vocant, matrimoniali sponso quoque, consummationem promissi conjugii detrectantes, aut coactae celebratis nuptiarum solemnibus complementum tamen

(k) Praecipue apud Bambergenses, qui sepulturae locum utriusque concesserunt.

(l) In Neron. c. 35.

(m) Lib. de Uxore Hebraica.

(n) Formula haec extat. p. 111. Benedicte sis Domine DEUS Rex mundi, qui sanctificavit nos praeceptis tuis & incestu nobis interdixit, atque ut à sponsis absteremus voluit, sed uxores tam thalamo quam sponsalibus conjunctas nobis permisit. Benedicte qui sanctificavit populum suum Israel per thalamum & sponsalia.

(o) P. 114. 199.

men amoris, quod debiti conjugalis solutionem dicunt, pertinaciter recusantes, quin ipsos judiciali sententia à thoro & mensa, uti loquuntur, separatos constringente, à Juris Canonici Consultis uno ore doceatur, in vulgus notum est, quorum scita non Papicolæ tantum amplectuntur, sed & purioribus sacris addicti probant & factu expriment.

Hæc itaque omnia rite perpendenti in honorario Josephi atque Mariæ conjugio vix quidquam occurreret, quod crucem figat, nisi quod stupendo ad seculorum omnium memoriam miraculo, in isto conjugio partus editus est, cui causam illud minime dedit, sed quo velut medio DEUS ad tutelam atque curam ejus, qui æterna sua providentia terrarum orbem gubernat, uti constituerat. Atque illud est, Cives charissimi, venerandum pudici concubii secretum, (p) quod casta mente vobis cogitandum, quod defixis in terram aut sublatis in cœlum, nequaquam vero transversa tuentibus, oculis cernendum vobis atque considerandum exhibetur. Efficite quæso, ut quoad ingenii humani caligo liquidissimam rerum cœlestium lucem capit, recte quæ eo pertinent omnia intelligatis, & intellexisse vos, quod certissimum veri perfectus specimen est, ipso opere demonstretis. Exiguum est, quod ætatis vestræ ratione habita à Vobis postulo, ut quæ Virtutes adolescentiæ sint, proposito divinæ infantia exemplo edocti addiscatis.

(p) *Liceat ita loqui cum Gell. Noct. Attic. L. IX. c. 10. sed puro & ex antedictis repetendo sensu.*

P. P.

GRYPHISWALDIÆ,
SUB SIGILLO ACADEMIÆ,
IPSIS FERIIS NATALITIIS,
A. O. R. 1708.

(1706)

Greifswald, Diss., 1706-25

ULB Halle
005 372 038

3



56







Farbkarte #13

B.I.G.

PROGRAMMA
Qvo
UNIVERSITATIS GRYPHICÆ
RECTOR
JO. PHILIPPUS
PALTHENIUS,
Moral. & Hiftor. Prof. Reg.
DE
CONJUGIO
HONORARIO

1708, 6
14

differit
&
Ad caste celebranda Virginei
partus sacra
CIVES SUOS
pro officii affectusque ratione
ferio ac peramanter
cohortatur.



Gryphiswaldiæ,
Typis DANIELIS BENJAMINIS STARCKB,
Reg. Acad. Typogr.

